

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5318

Auteur(s) : Jean l' Angevin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, août

Lieu d'émission : Bretteville-en-Saire

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Jean l' Angevin, ses frères Jean et Thomas, Guillaume le Fae et Nichola, sa femme, vendent au chapitre pour quatre-vingt livres le tiers des dîmes de Bretteville-en-Saire.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 48, p. 158-159.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris, quod nos, Johannes dictus l' Angevin primogenitus, Johannes et Thomas, fratres ejus, et Guillelmus le Fae ac Nicholaa, uxor ejus, soror predictorum fratrum, vendidimus, concessimus et dimisimus totaliter viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensi, pro quatuor viginti libris tur., de quibus nobis plenarie satisfecit, totam portionem seu partem decimarum garbarum seu frugum quam habebamus seu poteramus habere in feodo laicali in parrochia Sancti Germani de Brethevilla juxta Torlavillam, Constantiensis dyocesis, in quacumque parte seu territorio parrochie predicte, cum omnibus pertinenciis suis, videlicet tertiam partem decimarum garbarum ; tenendum, habendum et in perpetuum possidendum dicto capitulo libere, pacifice et quiete, sine contradictione vel reclamacione aliqua a nobis et heredibus nostris in contrarium facienda ; et tenemur dicto capitulo dictam portionem decimarum cum suis pertinenciis garantizare et defendere contra omnes bona fide, vel excambium super hoc facere competenter alibi in nostra hereditate propria, si garantizare et defendere non possemus. Hoc acto quod dictam hereditatem nostram nos predicti fratres et Guillelmus ac uxor et heredes nostri seu successores vendere non poterimus nec alienare ullo modo, possit fieri competens excambium de premissis, si necesse fuerit, capitulo predicto. Et nichilominus sciendum est quod nos Johannes et Johannes fratres et Guillelmus debemus et tenemur modis omnibus [...] et facere erga uxores nostras quod ipse in plena parrochia dimittent totaliter et quictabunt dicto capitulo totum jus quod habent et habere possunt in portione predictarum decimarum, ratione maritaggi seu dotalicis vel donationis propter nuptias, juramenta earum prestando quod in premissis nichil decetero reclamabunt, et premissa omnia et singula juramus nos fratres, Guillelmus et Nicolaa, dicto capitulo servaturos et contra decetero non venturos, et specialiter nos dictus Thomas et Nicolaa juravimus, tactis sacrosanctis evangeliis, quod ego Thomas, ratione minoris etatis, et ego Nicolaa, ratione maritaggi seu alias, contra premissa non veniemus ullo modo. In cujus rei testimonium et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem

cartam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Actum anno Domini M° CC° octogesimo, mense augusti. Teste parrochia de Brethevilla.